

Wd
724



45.



64, 10.

Wd
724

De vita & morte

ILLVSTRIS

SIMI PRINCIPIS

AC DOMINI, D. IOHAN. FRI-
derici II. captiui, Ducis Saxoniae, Land-
grauij Thuringiae, & Marchio-
nis Misniae,

ORATIO,

IN SCHOLA GOTTHANA

POSTRIDIE PVBLICARVM

exequiarum habita, à

M. Andrea V Vilquio, Rectore,

Anno M. D. XCV.



Excusa Smalcaldiae, 1597.



ILLVSTRISSIMO,
CELSISSIMOQVE PRIN-
cipi ac Domino, Domino IOHAN-
NI CASIMIRO, Duci Saxoniae,
Landgrauio Thuringiae, & Mar-
chioni Misniae, Domino
suo clementif-
simo,

VITA, SALVS, VICTORIA,
Ab eo, qui solus
Vita, Salus, & Victoria.

DECENNIVM IAM EST,
atq; etiam ultra, cum, illustrissime
Princeps, Domine clementissime,
fuiſti pro celsitudine tua aggressus ad regionis
tua, patrie terrae, sceptrum iure. Et iusticiae a-
qualitate tractanda. Quae tum erat, Et
quam fausta omnium acclamatio, qua spes
futurorum bonorum, quanta rerum recupe-
randarum expectatio: Affligebantur adhuc
pleraq; prouinciae diuinitus illo, quis enim a-

A 2 liter

liter credat? immisso Fato, populi squalle-
bant, dubii, de rerum pendentium & impen-
dentium euentu: iacebant ciuitates, & nauis
instar, suo rectore destituta, modò huc fluctu-
abant, modò illuc, incerta inter tantos flu-
ctus de portu, & ad tranquillum littus ad-
nauigatione. Simul atque verò prouincias
fama peruaferat, JOhannem CASimirum,
ipsum surgere ad leges, & iussa ponenda, ad
populum suum moderandum: quanta, De-
um, immortalem, fuit inter omnes publica
congratulatio? qua, & quàm deuotè conce-
pta vota, qua preces fusæ & effusæ, pro secur-
do tantarum rerum, quibus inter homines
nihil maius, auspicio? Vuat diu, valeat diu,
regnet diu, ad virtutem præeat, sequemur
nos, bene beateq; agat, nos florebimus. Vidis-
ses tum letas iterum prouincias, populum ex
sordibus in splendorem erectum. Ciuitates
penè sedibus suis motas, tanquam ad prode-
untem Ducem, cateruatim velut beneficium
& salutare quoddam Numen excipiendum,
obuiam

obuiam processuras, inter amorē timoremq;
medias, & alternis iudiciis ambigentes Do-
minum saluent, an Patrem. Quod omen in-
terea neminem unquam fallit, nisi qui teme-
ritate & licentia ventis vel abripitur, vel
sua fortuna effertur, extra sacram nauis hu-
ius anchoram. Omnes enim pro à natura in-
genita tibi Natura, illustriss. P. pateris tua
clementia uti, in primis verò Ecclesiam &
Scholas. Atque dum eadem in pace fruun-
tur, tu quoque tuo isto Natura bono tam ex-
cellenti gaudes, & cum fortuna atque gloria
frueris, quippe qui malos illos & improbos
esse non ignoras, qui in imperio, non nisi im-
perium cogitant, & qui se non civibus datos
arbitrantur, sed sibi ciues: praesse verò te ho-
minibus, sed hominum causa, nec Dominum
modò & arbitrum rerum, sed tutorem, &
administrum esse. Quod plures pariter, &
ego in illustri Salana tua probè intellexi, qui
munificentia tua fui circiter nouennium ferè
liberalissimè alius & sustentus. Idem etiam-

num quotidie experior, dum viginti quinque
adolescentes in hac Schola nostra & Cœnobio
video eadem munificentissime educari, ad
reipub. uniuersa emolumentum, promoueri
inspicio. Magna hæc sunt, quin immò maxi-
mis reuera maiora, sine quibus quid est
in imperiis, nisi barbaries & rusticitas? un-
de non frustra oraculum hoc effatus est Vates
ille: Σοφὸν γὰρ οὐ βέλνεται τὰς πολλὰς χεῖρας
Νικᾶ.

Pro sua olim clementia & liberalitate in lit-
teras & linguas, in delubra & collegia ma-
gna à magnis scriptoribus litterarum lingua-
rumq; monumenta, Octavianus, Aurelius,
M. Antonius, & alii Reges, Imperatores ac
Principes retulerunt: Tu, P. illustriss. pro
in me tua & scholam hanc clementiss. volun-
tate, clementi vultu accipe orationem hanc,
quam ob illustrissimi Patris tui Fatum, in
communi T. Celsitud. Patriaq; uniuersa lu-
ctu mihi pietas iniunxit, extorsit commiseratio,
in scholam hanc ab ipso collatorum innu-
merabi-

merabilium beneficiorum expressit recorda-
tio. Quod si fecerit tua Celsitud. me incredi-
bili beneficio non tantum, affectum, sed &
Scholam hanc putabo ab eadem præ cæteris
singulari clementia foueri, fotamq; iri dein-
ceps in Dei laudem, Reipublicæ salutem, Cel-
situd. tuæ gloriam perpetuò deprædicandam.
Celsitud. tuam, qui est cæli, terræq; & maris
vnus & solus maximus moderator, oro qua-
soq; roboret sui Spiritus sancti virtute & po-
tentia, vt salubriter & diu regnet, Amen.

Gottha, mense Augusto, Anno Christi,

M. D. XCVI.

T. Celsitud.

humiliter subiectus

M. Andreas Vuilkius,
Scholæ Rector.



ORATIO.

SI vlllo vnquam tempore, Domine Superintendens, & Magistri clariss. atq; reuerenter colendi, Consules & Senatores amplissimi, collegæ humanissimi, vosq; cæteri, qui adestis, auditores spectatissimi, & tu frequentissima iuuentus: si, inquam, vlllo vnq; tempore à quoquam est vel auditione perceptum, vel compertum experientia, illustrissimam atq; diuinis laudibus plenissimam domum Saxoniam, inde à **VVEDECHINDO** vsq; per octingentos, nonaginta & quinque annos, graues plagas & vulnera accepisse: hoc profectò potissimùm biennio insana-bilia omnino accepisse eam, omnes experimur, quo **ELISABETHA**, illustrissimæ P. Palatinæ Rheni, Ducissæ Bauariæ & Simmeriæ, matris Illustrissimorū PP. nostrorum desideratissimæ, funus inductum esse, & eorundem iam cellissimi atq; illustrissimi patris **IOhan. FRiderici II.** Ducis Saxonie, Marchionis Mis-niæ, & Thuringiæ Landgrauū, induci funus summo cum dolore & squallore incredibili animaduertimus.

Quamuis enim, sicuti *ἡ δὲ αἰς θνητῶν τῶν τυχῶν ἀνὴρ* *παῖτος*, & æquè per omnes familias malorum auræ spi-rant: ita & reliqui cellissimi ac potentissimi Electo-res & Principes Saxonie fuerint cum suo quisq; ca-lamitatum **FATO** conflictati: semper enim felicem esse, & sine calamitate vitam velle transire, rerum na-turæ est alteram partem ignorare: Illustrissimi tamen P. nostri **FATVM** nouum omnino est, atq; que inauditum. Abripiebantur quidem Aldenburz

B

go

go olim FRIdERICI placidissimi illius Ducis, & Ele-
ctoris Saxoniae, à plagiarijs duo filij, quos vnos, quos
solos domus Saxoniae stirpem & propaginem reli-
quos habebat: sed restituebantur maiori cum omniũ
gaudio, quàm paullo antea fuerant cum luctu abre-
pti. Arma pro patriæ libertate sumere illustris. Hes-
roem IOhan. FRidericum I. Romani imperij Ele-
ctorem, & P. nostri defuncti laudatissimum patrem,
sui seculi perturbatissimus status cupit, pro subditorũ
salute bella gerere rerum omnium iubet summa iniu-
ria, sanguinem innocentissimum fundere, inops, & ab
omnibus abiecta cogit Relligio, captiuitatis denique
sordes & ignominiam perferre, animi eius facit altis-
sima magnitudo. Quàm iniquum hoc Fatum, quan-
ta isthac calamitas, auditores: Verùm arma iusticia,
bella fortitudo, sanguinem tuus, Christe, honos, cap-
tiuitatem constantia tandem aliquando gloriosissis-
mè superauit, ex tumultu in quietem, in gloriam ex
ignominia, ex aliena potestate in suam libertatem, ex
sordibus in pristinam illustrissimorum honorũ digni-
tatem collocavit, suis ipsum reddidit, & ipsi suos sum-
ma cum omnium totius Thuringiae, Misniae & exte-
rarum quamplurimarum gentium deuotione restituit.
Hic verò illustris. P. noster, auditores, in aliena
potestate, sub durissima & indignissima captiuitate,
perpetuum & æternum, per annos circiter viginti o-
cto, proh dolor, asseruatur, suis, pro vt decet Princis-
pem, incredibili magnificentissimorum sumtuum dif-
ficultate sustinendus, etiam tum, cum tota Europa est
præ immanissima Barbarorum incursione trepidatio,
ijs in finibus, vbi propter præsentissimum Turciae
crudelitatis periculum respirare tutum non est, ne-
dum

¶ Cum vivere, sine munitione, sine præsidio custoditur,
sua illustrissima auitæ dignitatis gloriæ, celsissimo ditiss
onis & subditorum honore priuatus, suorum aditu,
colloquio, alloquioq; & conuersatione in sordes ad
alienissimorum hominum nutum exclusus. Et quod
maximum est, sua ipsius vnica custode, altrice, con-
seruatrice senem se, effœtum & imbecillem spoliari
dulcissimam sociam, comitem fidelissimam ELisabe-
tham suam, absq; suorum desideratissimorum filiorũ
osculo, morientem in suo ipsius amplexu aspicit, &
dolet & mœret. Ipse denique in tantis arumnis ex-
tra patriam, captiuus, nulla parte debitæ celsitudinis
recuperata, in peregrinorum vlnis & complexu,
quem dignissimum erat in propriorum mori, moris-
tur, moritur, inquam, tum, cùm restituendæ libertas-
tis spes esset amplissima ostensa, nec suis nisi exanimis,
nisi cadauer restituitur: O spes fallaces, ô miseria
& calamitatem: Hæc verò plaga illa, illud vulnus
est, auditores, quod incurabile accepit domus Saxo-
nica, cicatrice sempiterna, nouum, & inauditum. De-
um immortalem, Ducem debere, principem Saxo-
niæ, & Electoria stirpe natum Heroem in captiuitate
mori, quo quid esse vnq; aut indignius potest, aut luctu-
osius? Quis igitur questus, aut lamentationes quæ
nam possunt tanta calamitate dignæ inueniri? quis,
inquam, capiti nostro, vt cum Propheta loquar, aquam,
& fontem oculis dabit, quibus Principis optimi &
Ducis sanctissimi miserabile Fatum effleamus? Du-
cem suum Israelitæ triginta diebus Mosen dedolue-
runt: Alcesten suam lugendam Admetus toto anno
imperat. C. Iulij Cæsaris exequias populus Romanus
rogo magnificè extructio, pompa illustri, luctu

Suetonius in
Theseo.

publico, hoc Pacuuij carmine exornarunt: Mené me
seruasse, vt essent qui me perderent? Apud Plutar-
chum cum Cimon eam Insulam cepisset, in qua The-
seus Licomedis crudelitate interieret, inuento eius
atq; effosso monumento, ossium reliquias secum A-
thenas in triremi magna veneratione deportauit, quas
Athenienses illustri pompa progressi, peractis sacrifi-
cijs, tanquam ipsum Theseum exceperunt, ipsiq; se-
pulcrum media vrbis regione Asylum omnibus ad id
confugientib9 perpetuum, summo cum honore statu-
erunt. Eundem vestrum omnium erga Principem
nostrum esse animum, auditores, in his publicis ex-
equijs equidem non dubito: quorum neminem adesse
video, qui tam acerbum ac lucluosum domus Saxonis
ca casum æquo ferat animo, quod & vultu & lacrymis
& sordibus istis vestris nobis omnibus facitis satis at-
testatum. Luget, & merito luget optimi & illustrissi-
mi Principis indignissimum Fatum Ecclesia: Luget
Respublica, mœret aula, dolent populi, squallent ciui-
tates, affliçantur Prouinciæ: ipsi quoq; parietes, &
hæc tecta prope queri & lamentari, neq; sine gemitu
atq; suspirijs tam pium, tam beneficum, tam doctum,
tam sapientem principem sibi ereptum desiderare vi-
dentur. Quod si ergo dolendum est omnibus, quod
facere omnes videtis: multo etiam magis nos, qui in
Scholæ huius & pietatem sumus, & συμπαθεῖν delecti,
dolere, & pias lacrymas præstare defuncto debemus:
quibus is semper, cum absens, tum præsens, quod ve-
rè dico, patronus & parens extitit: & idem quoq; fi-
dus pater Ecclesiæ, custos Lutheranae religionis, vir-
tutis altor, bonarum artium nutritor & propagator,
defensor viduarum, pupillorum tutor, pauperum &
infirmorum

infirmorum opitulator, totius denique provinciae ornamento omnium seculorum laude dignissimum. Faciam ergo, quod & pietas & officij mei ratio me facere iubet, & pro laudabili more, inde usque à Dei populo nobis per Græcas, per Latinas, per omnes gentes, siue Barbaras siue excultas, quasi in manus tradito, ultimum, quod quidem à me potest in tanto luctu proficisci, officium exoluam, & sanctissimæ P. nostri illustrissimi animæ, rebus humanis exemptæ, quantum poterò, his lacrymis, & hoc qualicumque eulogio supremo parentabo. Hoc etsi arduum mihi & eò difficilius futurum esse intelligo, quò huius unius principis Fortuna & insolentior ac rarior est, & virtutes in eo omnes conspicuæ magis atque illustriores: Tamen quia sic statuo, auditores, à me his exequijs, atque hoc extremo eulogio, pietatis potius, quam orationis, querelæ, quam eloquentiæ, doloris, quam ingenij partes esse susceptas: spero, vel planè potius confido, non plus facultatem vos, quam voluntatem in me desideraturos, & si minus forsan expectationi vestræ satisfecero, veniam mihi benignè humaniterque daturus.

PRINCIPIO, cum alia innumerabilia me in hac doloris & commiserationis acerbitate suspendunt, tum verò imprimis perturbat orationis difficilimus exorsus, in tanta rerum omnium difficilimarum varietate, cui enarrandæ, ne prædicandæ dicam, verissimile non est, aut quenquam alium posse, ut ut Uliassæ vel Nestoria dicendi facultate præditum, aut me in hac ingenij mei mediocritate sufficere. Siue enim patriæ claritatem spectemus, siue Natalium splendorem contueamur, siue consideremus parentum & maiorum

Patria.

torum celsitudinem, siue proprias animi virtutes pers-
pendamus, siue alia deniq; naturæ bona & ornamen-
ta contemplemur, sanè immensus offert sese dicendi
campus, vt quid primo aut postremo loco dici debe-
at, vix satis animo conceptum aut exploratum habere
liceat. Ac patria quidem, de qua tanquam *πατρίδι*
μέζον γονί primo & maximo parente, vt apud Stobæ-
um Hierocli placet, primo loco mihi rectè dicere vi-
deor, vt ignobilis & obscura sua fuit Seriphio oppro-
briū & turpitudini: Ita P. nostro sua clara & præcella
immortali commendationi. Ea videlicet Germaniæ
regio, non quæ nomen suum à quodam Misniæ flu-
uio, vt Ditmaro placet, sed vt Melanthoni & Came-
rario, inde ab Antininorum Imperatorum vsq; tem-
pore, per tredecim secula à Misis nomen Misniæ ob-
tinet vetustissimum. Electoria autem regionis illius
T O R G A vrbs celebris est, sedes & arx Electorum
Saxoniorum principalis, quam à Dagoberto extru-
ctam & cognominatam, nonnulli ex Ptolomæo AR-
geliam esse volunt: vrbs profectò amœnitate monti-
um, vbertate agrorum, vinearum cultura, prætorum
hortorumq; fertilitate, Albis deniq; suauitate perq;
conspicua: Maxime verò eo nomine commendata,
quòd non solum honestæ disciplinæ, verùm etiam
Lutheranæ religionis sedes est ac officina, & sacro-
sanctæ Christi Ecclesiæ templum & domicilium: qua-
rum vt illa ciuitatis anima, ita hæc eiusdem salus est,
& Dei ciuitas, atq; omnium patria vna desideratissi-
ma, cuius ciuem esse verè quidem magna laus est, sed
re vera vel solùm maxima. Ea in vrbe Princeps nos-
ter illustrissimus natus est, hora 7. vespertina, ad 6.
Idus Februarias, anno partæ generi humano per

Chri

Natiuitas.

Christum salutis, supra millesimū, quingentesimum,
vicesimo nono, quo & inuictissimi Imperatoris, &
Archiducis Austriae filium Ferdinandum, aura vitalis
utero matris exeunte in cunis latissimis excepit.

Fuit annus ille, Auditores, omnino Fatalis, &
quamplurimis illustribus notis in Annales referendus,
Ineunte & nouo vere summa amœnitas, flagrantissi-
mo æstu præter solitum coniuncto, in pratis florum
& herbarum agmina, arbores odora quadam & cana
niue perspersæ, in hortis, in agris, quasi impetu & vi
quadam omnis generis segetum è terra sub aura se eris-
gentium noua suauitas. Eò verò tristior æstas, inau-
dito quodam morbi, famis, tempestatum & inundatis
onum malo infecta & infecta, quo non corripiebantur
homines, terrebantur uè, sed momento citius noua
lue prostrati omnino perimebantur. Autumno denique
publicæ pacis salus omnis desperata, quo Turcicus
Solymanus, Budam non tantum obsedit, oppugna-
uit, cepit; verum etiam Viennam Austriae miris stras-
tagematis aliquandiu, sed nequicquam, attentauit.
Vnde tota Germania qui pavor, quæ sollicitudo, æ-
stuabant omnes, omnes præ Turcicæ incursionis pe-
riculo trepidabant. Decidebat tum Vratislaviae de
templo D. Elisabethæ sacro turris ingentis altitudi-
nis, sua sponte, sine vlla vllius clade præcipitata. Cui
restauratæ & reductæ ista verba & versus isti fuerunt
in sempiternam rei memoriam incisi:

MIRABILIS IN ALTIS DOMINVS.

Collapsa est turris Siloë, madefacta cruore,

Pyramide huc nostra nemo cadente perit.

Nam iussu Domini exceptam, cui gloria soli,

Angelica molem deposuere manus.

Patrem

Parentes &
Maiores.

Eurip. in Me
deu.

Prosapia pa-
terna.

Lib. 2. Rhet.
ad Theoct.
cap 15.

In Apophr.

Patrem autem habuit illustrissimus Princeps nos-
ter IOHAN. FRidericū I. cognomine Magna-
nimū, Romani imperij Electorem & Septemvirum,
Principem Saxonicum, omni virtutis pietatisq; & sa-
pientia laude, seculis futuris omnib; prædicandū, de
quo præstat omnino tacere, q̄ pauca dicere. Ma-
trem verò SY Bilam, Ducissam Iuliacensem, Cluven-
sem & Bergensem, Comitissam Rauensbergensem,
fœminam omniū virtutum, quæ quidem in mulierem
cadere possunt, veram imaginem, quarum Tragicus
scribit *παυρὸν δὴ γένος ἐν πολλοῖσι*, paucas ex multis res
periri. Quæ sanè vtraq; familia cum ipsa per se, & an-
tiquitate generis & maiorum splendore, & rerum ges-
tarū gloria illustrissima est, tum paterna hoc illustri-
or, quod aucta septemvirali dignitate creandis Impe-
ratoribus Romanis hæreditaria, qua vix vllum hodie
in terris, secundum nomen Regium, siue autoritas,
siue publici consilij spectetur potestas, splendidius &
magnificentiq; haberi solet. Ac de hac quidē Prosapia
quorsum attinet me multa dicere, quæ non solum per
tot hominum secula Duces, Principes, atq; Impera-
tores heroica virtute & sapientia præstantes quam-
plurimos tulit: Verū, vt cum Philosopho nostro
Aristotele loquar, suam etiam *εὐγενίαν ἐντιμότητα*, ves-
tustatem, integritatemq; generis, & illustrissimam cla-
ritatem in Rempub. in Scholas, in Ecclesiam præser-
tim, diuinissimis laudibus propagavit? Ideoq; hîc lo-
cum non habet apud Plutarchum Iphicratis illud, qui
cū egregius Imperator esset, audiretq; sibi à quo-
dam contumeliosè atq; insolenter obijci, quod esset
futoris filius, rectè hoc modo respondit: Meum à me
incipit genus, tuum autem in te desinit.

Atq;

Atq; vt priscos illos VVITEchindos Comites,
 & Duces VVETHinos, à quibus stirps Saxonica su-
 am originem ducit, DIETgremos illos, illos DITH-
 maros, BRunones, THEoricos, DEdones, THI-
 mones, OThones, HENricos, ALbertos, FRideri-
 cos, illustres illos, illos seueros & strenuos prætere-
 am, qui iam per octingentos annos, aut amplius etiam
 per litteras mortui viuunt, & nobiscum muti loquun-
 tur, quorum cuiuslibet verè possumus, quod Dion Se-
 ptimio Imperatori, encomium attribuere, ἢ ἐπιμελής, Xiphilin.
 τῶν πρακτικῶν, καὶ ἀμελής τῶν περι αὐτῶ λογοποιικῶν: satis Dion. Ab
 vobis arbitror omnibus constare, permultos in ea ipsa breuiat.
 stirpe Heroës fortissimos, & belli pacisq; artibus præ- sub finem
 stantissimos semper floruisse. In quibus non postre- lib. 21.
 mam gloriam meruit FRidericus, cognomine belli-
 cosus, illud belli fulmen, & lumen Patriæ. Hic ille est,
 Auditores, qui quamplurimis bellis singulari magna
 nimitate & fortitudine in Vngaria & Bohemia ge-
 stis, ab Imperatore Sigismundo, anno à Christo nato,
 circiter millesimum quadringentesimum vicesimo
 tertio, sub Ferijs Trium Regum, Septemviralem di-
 gnitatem suarum virtutum & laborum pro Romano
 Imperio susceptorum, vltro delatū proemium in hanc
 Familiam primus intulit, singulari cærimoniarum ritu,
 Electoratus insignibus Presburgi vt nonnulli, vel vt
 alij volunt, Budæ anno sequenti delatis, quo & frater
 eius GVilhelmus II. fato sublatus est, & in Bohemia
 Myforum exercitus eousq; fugatus, vt septem millia
 hominum ad caput vsque ceciderint.

Quid memorem FRidericum II. Electorem &
 Præfectum Imperij Romani laudatissimum, qui ab
 Imperij proceribus ad se delatum imperatorium ho-

C

norem

norem CAROLO II. sponte ac vltro destinavit? Hic cum domesticum & ciuile bellum deterrimū aliquandiu gessisset cum fratre GVilielmo III. suo tandem paterno amore victus fecit, vt contra totius Regionis expectationem subito finiretur. Nam cum ex veteranis aliquis se vel globulo velle, quo in suis ipsius castris GVilielmum iceret, bellum conficere ad FRidericum iactitasset, si integrum esset, & FRidericus ipsius temeritatem grauiter tulisset, iussissetq; vt in alijs potius, quā in suo in fratre artem experiretur: Hic verò fraternus & integerrimus amor fuisset GVilielmo à viris fide dignissimis & pacis studiosissimis detestus. Factum fuit, vt acie vtrinq; instructa & producta iam iam manus commissuri, Principes fratres ex suo quisq; exercitu in collem eminentiorem aduersus vtrumq; exercitum situm secesserit, ibiq; colloquij, manuum, osculorumq; intercessione, inueterato odio animis omnino expuncto, bellum composuerit, ab internectione se, subditos ab interitu, regionem à vastatione conseruârunt. Thucydideum videlicet illud optimi, & laudatissimi PP. obseruârunt, & quid præter opinionem ex bello vtriq; posset euenire, rectè considerârunt.

Lib. c.

2. de Orat.
Lib. 1.

Quid FRidericum III. Electorem, cognomento Sapientem, sed re vera sapientissimum, dicam: qui cum non ignoraret lucem veritatis & Magistram vitæ, vt Ciceroni, vel vt Polybio placet, ἀληθινωτάτην παιδείαν, καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, verissimam disciplinam exercitationemq; ad res ciuiles Historiam esse, quæ in iuuentute cognouerat, ea adultiori ætate etiam peregrinando voluit experiri. Ideo vnà cum auunculo suo Duce Bauariæ CHRistophoro, atq;

ro, atque quatuordecim Comitibus & Liberis Baro-
nibus sese in Palestinam, siue terram sanctam expe-
dit, Vinaría anno sexagesimo primo iuxta millesimū
& quadringentesimum profectus. In eo itinere FRi-
dericum Imperatorem auunculum in oppido Austriae
Lincaea salutauit, à quo fuit propter cognationem, &
erga Duces Saxonicos beneuolentiam magnificentis-
simè exceptus: inibi cum sapientissimus Imperator
probè animaduerneret FRiderici virtutem, sese illus-
trissimis notis exerentem, abeuntem aureo torque
donatum eo præconio dimisit, quo Nestor apud Ho-
merum Telemachum. Inter peregrinandum, vt & *osuos. y.*
alijs prodesset, plaracq; veterum oppidorum *εἰκων*
pingi elegantissima tabella curauit, quæ in splendida
& illustri lenensium Bibliotheca, cuius similem vix
orbis habet, posteris & immortalitati consecrata as-
seruatur.

Ex tanta itineris difficultate domum saluo & in-
columi reuerso, omnium Electorum vnanimi suffra-
gio Cæsaria maiestas ipsi fuit honos & dignitas oblata,
quam propter imperij perturbatissimum discordiæ &
dissensionum statum forti animo reiecit, subiecto di-
cterio: Equidem quæro virtutem, quam cum non in-
ueniam, nec potentiam accipio. Hic impositum sibi
Cæsarium diadema Carolo V. vltro obtulit, hic tri-
ginta Comitij interfuit & præfuit, Hic locum tenen-
tis Imperij titulum obtinuit, hic vno verbo omnium
PP. Electorum Princeps summus, maximus Heros,
Monarcha inuictissimus fuit.

Quid deniq; IOannem Electorem, illustrissimū
P. nostri aium prædicem? quid eius animi altitudinē
collaudem? quam Maximiliano in Alba Græcia cas-
pienda,

pienda, vnde Coronam muralem deportauit, Carolo V. in oppugnanda Mafilia miris modis probauit: Quid clementiam, quid longanimitatem, quid placabilitatem, aut quibus verbis extollam? Id verò feculis futuris omnibus litteris & linguis in eo depredicandū est, quod non modò puram, atq; adeò Lutheranam Euangelij doctrinam agnouerit, atq; agnitam in tribus illis vniuersalibus Comitijs anno 27. & 29. Spiræ, atque 30. Augustæ, coram Carolo V. Augusto liberè aperteq; fuerit professus, verumetiam ad extremum spiritum vsque acriter fortiterq; tutatus, adeò vt inatrepidè in faciem Cæsaris dicere non fuerit veritus, se nullum, ne capitis quidem, periculum subterfugere, fidei Euangelicæ gratia, cum Deo magis sit quàm hominibus obediendum. O fidem præclaram, ô singularem constantiam: ô vocem tanto Principe, & tam CHRisti confessore dignissimam: Nimirum pietas ista, & ista fidei constantia non ex sanguine, aut aliquo carnis sensu, neque ex viri voluntate, sed ex Deo, eiusq; spiritu ac verbo nascitur, quo qui præditi sunt, verè hi sunt ex Deo nati, & Dei filij, teste Euangelista.

*Profapia
Materna.*

Quanta verò gloria sit & virtus profapiæ maternæ, me quoque tacente facile intelligitis, Auditores, in qua multis seculis floruisse absq; dubio nouistis, nō modò fortes & bellicosos Heroës, sed etiam pios & cordatos Principes, quorum res gestas & virtutes nō dico laudandas prædicandasue, sed enumerandas & percensendas si aggressus fuero, perquam vereor, ne deprimantur potius, quàm extollantur mea hac qualicunq; dicendi facultate: Meam enim orationem tantis rebus tam incredibili celebritate æternitati consecratis

cratis optimè deprehendo quamplurimum esse infe-
riorem. Ideoque reliqua laude dignissima omnia mihi
necessario erunt silentio inuoluenda, vbi de istis pauca
introduxero.

Auum habuit maternum sanctissimus P. noster
IOannem III. Cliensem Ducem, & Comitem Mara-
chæ generosissimum, ex GODEFRIDI Bilionei posteri-
tate oriundum. Hic propter auitam generositatem ex
Belgico fuit in vicinam Lotharingiam euocatus, atq;
eiusdem ab Heinrico III. Imperatore Dux consti-
tutus.

Incidit tum ætas eius in bellum ciuile HEINRICI
IV. cuius nomine exercitum duxit in Italia, atque in
Romæ expugnatione grauitè vulneratus, Deo vo-
tum fecit belli contra Turcas & Sarracenos deinceps
expediendi, si ex vulnere conualuisset. Quapropter
suo vigori restitutus, deuotionisq; spontaneæ reus,
Belgij Ducibus plerisque auctor & persuasor fuit belli
contra Barbaros suscipiendi, in quorum terram, vt o-
lim in Colchidem è Græcia Principes Peleus, Tela-
mon, Tiphys, & alij: ita vbi Godefridus cum suis ve-
la dedisset, Asiam recuperauit, Syriam & Palestinam
occupauit, cepit Niceam, Ionium subegit, Hierosoly-
mam ex immanissimorum Turcorum seruitute extra-
xit, tanta cum animi magnitudine, vt cum Hierosoly-
mis Rex esset constituendus, ipse fuerit sumis suffra-
giorum omnium votis delectus & coronatus.

Plura hic de Adolpho dicerem, quem nonnulli
stirpis huius conditorem celebrant, quædam de IO-
hanne I. nonnulla quoq; de Iohanne III. Cliuix Ducis
bus enarrarem, nisi in vnus horulæ orationem mihi
essent quamplurima cogenda. Hac ergo gente & fa-

milia Ioh. Fridericus II. prognatus, & tam illustri ac
splendido loco ortus, generositatis & virtutis secum
in hanc lucem intulit primordia, quæ postea corrobora-
rauit firmavitq; multum sancta & bona educatio.

Principes utrobique seuera disciplina, & forsan se-
ueriori educantur, auditores, quam quisquam alius de
populo: ipsi custodes adduntur, præficiuntur Magistri,
Comites plures, non ut vulgus putat Pompæ, sed dis-
ciplinæ gratia, ut res ipsa loquitur, constituuntur. Nō
excurrere illis licet, non loqui quæ volunt, non vefci
quibus volunt, nihil denique omnium agere quæ vo-
lunt, nisi velle ipsos appareat, quæ recta sint, nec eos
è sua libidine, sed sententia Magistrorum recta metiri
oportet. Hi errantes in viam reducunt, petulantes
cohercent, castigant & puniunt luxuriantes. Hoc Aes-
acidis olim, hoc Heraclidis quondam fiebat. Sic apud
Xenephontem Cyrus, Alcibiades apud Plutarchum
scribuntur educati. Apud Homerum Achilli ad expe-
ditionem Troianam proficiscenti, Peleus sapiens pa-
ter senem Phœnicem adiunxit, qui alumnum suum
etiam tum de omnibus moneret, siue, ut ait:

Uac. 10

διδασκόμεναι τὰ δ' πάντα
μάθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, περικτήρα τε ἔργων.

Istiusmodi disciplina & cura illustris. P. fuit e-
ducatus, atq; præcipue secundum Apostoli præcep-
tum in doctrina & disciplina informatus. Nam cum
pueritiæ annos plane nondum excessisset, ex hac ipsa
schola illustrissimus ipsius parens virum doctissimum
Basilium MVnnerum, tum temporis Rectorem clas-
sissimum, suis filiis præceptorem euocauit. Hic prout
fuit grauis & diligens, instar fidelissimi cuiusdam So-
cratis sibi commissum Principem Ioha. FRidericum,
vna

vnâ cum Iohanne Guilielmo fratre in pietate Cate-
 cheseos Christianæ & Lutheranæ imbuit, sacræ scri-
 pturæ libris legendis atque recognoscendis condoces-
 fecit, ac præterea precibus assidue dicendis & Psalmis
 memoriter recitandis, sacrisq; auscultandis concioni-
 bus sedulo exercuit, & sub his quasi Tyrocinij pietas-
 tis, & sanctimonix velut in gremio cœlestis sapientix
 enutriuit. Verè enim Principi ἡ δὲ βουλὰ ἐβαλε, καὶ τὸ μὲν In Camillo.
 ἀγαυὸν ἄριστον, vt Plutarchus testatur, vel vt Hermes ille, Cap. 3.
 νόστος μεγάλη ψυχῆς ἀθείτης ἐπαίτα δόξα εἰς πάντα τὰ κακὰ
 ἐπακολουθεῖ, καὶ ἀγαθὸν ὄνειρον, magnus animi eiusdem mor-
 bus est impietas, quoniam illum opinio & inclinatio
 ad omnia mala sequitur, boni autem nihil, & sanè stan-
 te ea, nunquam stabit Respublica. Et quia nouerat
 fidissimus Præceptor, litteras vel solùm esse Rerum
 pub. & societatis humanæ fulcra, & vt dicere Aristo-
 teles solitus fuit, teste Laërtio, τὴν μὲν ὄρασιν, ἀπὸ τῶν περι-
 ἔχοντων ἀεὶ λαμβάνειν το φῶς τῆν δὲ ψυχὴν ἀπὸ τῶν μαθη-
 μάτων, atque omnem omnino doctrinam ad pruden-
 tiam facere, animi verò cultum ad sapientiam, rectè
 litterarum & linguarum, studiorum humaniorum ex-
 ercitia indefesso labore adiunxit, quorum fructus ve-
 berrimi & suauissimi postea à Principe nostro possent
 in vniuersam Rempub. Christianam promanare.

Solet equidem, auditores, non tam Tullio quàm
 experientia teste, ætas illa adolescentior, per se lubri-
 ca admodum & infirma, propendere magis ad libidi-
 nem & voluptates, si præsertim illecebra non desit
 peccandi occasio, quam plerunq; aula & fortuna illu-
 strior subministrat, qua ceu hamo capti hominum ani-
 mi, & quasi irretiti è stadio virtutis facile exorbitant, &
 in Barathrum vitiorum sese aliquando præcipitant.

Non

In vita Arist.

In Oratione
pro M. Cœ-
lio.

In C. Iulio
Cæsare, &
Tiberio.

Non hæc mens, non voluntas ista fuit Principis nostri, qui ita suffultus præceptore modum suæ vitæ facile tenuit, quem neque natura illa melior flectere ad voluptatem potuit, neque inflare ad fastum generis sublimitas, neque aula splendida detorquere ad lasciviam, neque vlla res alia valuit à semel cœpto Pietatis virtutisque cursu remouere aut retardare: quin potius omnibus adolescentiæ illecebris & voluptatibus abiectis, in optimæ vitæ proposito firmiter persisteret, & illam Musarum violis atque rosis constratam viam pede curreret inoffenso, & semitam ad præruptum sapientiæ, eruditionis, scientiæ collem & culmen ducentem fortiter inambularet. Sic igitur inclytus Princeps, nondum adulta ætate, mirandum naturæ litteris & pietati consecrata præfagium præbens, eius paullo post specimen exhibuit longè clarissimum. C. Iulius Cæsar laudes Herculis & Oedipi Tragœdiam puer scripsisse, Tiberius verò Cæsar nouem annos natus patrem mortuum pro Rostris oratione collaudasse à C. Suetonio referuntur: Ita & Princeps noster duodecim annorum adolescentulus, in litteris & linguis eò usque profecerat, vt coram illustris, parente suo in arce Torgauensi orationem admiranda venustate ac verborum lepore compositam habuerit, & pro puerili industria elegantissimè pronuntiaret. Has illustres ad sapientiam sese in filio exerentis virtutis notas cum præsens optimus Elector pater non sine expectatione & spe amplissima percepisset, simulque illius Aristophanæi consilij recordatus:

ἡμῖς μὲν ὦ πρεσβύτα συμβλένομεν
εἰ, ὅτι τις υἱὸς ὄσιν ἐκτέτραμμένῳ
πᾶμπαν ἐκάνοι ἀντὶ σεντ' μανθάνειν.

Ex

Ex Quintiliano perpendisset domesticis, publicas *Instit. orat. lib. 1. c. 3.*
scholas esse & lumen illud conuentus honestissimi, tenebris atque solitudine, tum quod morum grauitatem, tum & quod rerum cognoscendarum varietatem multis nominibus præferendum, sine mora curauit, ut filius & Præceptor, vir grauis, ipsius lateri adiunctus, in almam Vuitebergam deportati, in ipsius gremium fouendi nutriendique deponerentur. In qua illustrissimus Adolescens non crines Musis & Apollini, quod olim facere non necesse habebant, qui pueritiam egressi Delphos proficiscebantur, sicuti apud Plutarchum de Theseo legimus: sed se totum tradidit & *In Theseo.*
consecrauit, atque breui in superioribus disciplinis tantas progressiones fecit, ut quatuordecim annorum in publicum in præclarissima illa Academia lumina & columina, in illustrissimi Patris Electoris, in Ducis Vuolfgangi Anhaltini, in Ducis Ernesti Brunsvicensis & Ascaniensis conspectum, cum grauisima grauisimarum rerum de Boni Principis officio oratione prodire, in tanta ætate tot tantorumque virorum corona & confessu frequentissimo non percussus, voluerit.

O indolem raram, o ingenii dotes admirandas, o ætatem isthac ætate firmam & corroboratam: isthac ætate natum adolescentem hodie si produceres, putas resne etiam ipsum verbulum, vel ineptum saltem facturum, pro ut sunt plerorumque ingenia Aristophanis *In Nubibus.*
Strepsiadis non multum absimilia, qui etiam nugamenta leuicula & ludicra, quæ discunt, prius obliuiscuntur quam didicerint? Auditorum frequentia oculos perstringeret, mentem rerum difficultas hebetaret, linguam pronuncianda retardarent. Inibi cum

D iam

iam in pulcerrimarum virtutum, quæ maximè decent Principem adolescentem, veluti modestiæ, frugalitatis, continentiæ, castitatis, fortitudinis auctibus, & incrementis accreuisset, adeo vt bono exemplo cæteris omnibus præluceret, quibus cum familiariter vivebat, totiusq; Academiæ & multorum procerum ac Principum oculos animosq; in se conuertisset, confiderassetq; Principem non decere in Academicis meditationibus consensescere, sed, vt qui ignem à vicino petit, non illic hæret, sed ablato eo domi focum suum accendit, sic capiendos à Doctrina igniculos illos prudentiæ, & ad vsum actionemq; civilem transferendos esse: se in paternam aulam summa cum parentis læticia, & maximo omnium applausu, ad illarum rerum, quæ didicerat, exercitationem recepit.

Insererem hoc loco, auditores, qualis erga illustrissimum parentem illum Iesu Christi Martyrem fideissimum fuisset, nisi summa rerum capita in exiguam tabellam describenda mihi tantum sumfissim. Quàm precibus, quàm pijs, quas norat Ecclesiæ arma esse, pro patre sæpenumero orauit, quàm intimis gemitibus suspirauit, quid pro liberando non fecit, quid non molitus est, quid non suscepit? quàm abeuntem doluit, quàm exosculatus est redeuntem? in primis cum victor de Heinrico Brunsvicensi Aldenburgum reuerteretur: quàm obseruauit, quàm deduxit, quàm reduxit, quàm omnium negotiorum molestijs subleuauit: quàm nihil non ad parentis dilectissimi nutum exegit: ô te felicem Ioh. Fridericum I. tanto filio, ô filium tanto patre dignum, & in quo vt olim Amiclar Carthaginensis in Annibale, planè rediuita patriæ effigies virtutis cerneretur. Imperator Antoninus olim
Pij cor

Pij cognomen meruit, quod Socerum senio grauem
in senatu manu leuatum de Curia deduxisset: Scipio
victor cognominatus est, quod adolescens octodecim
annorum patrem à Pœnis circumuentum virtute sua
liberare esset conatus: Te nos, Iohannes Friderice II.
te pium, te victorem non nominabimus? non admi-
rabimur? non laudibus ad Cœlum euehemus? De
hoc tanto patre tantoq; filio vsurpare illud liceat, si vis
ueret, Maroni:

*Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.*

Iam verò cùm Princeps noster ad paternæ ditios
nis gubernaculum sedere, atq; clauum propediem te-
nere, & Magistratu ac vtriusque Tabulæ Decalogi
custos esse, nec minus cultus diuini & puræ religionis
quàm gubernationis politicæ curam gerere, neq; bo-
nus Princeps à bono patre differre deberet: ipsi opus
socio erat & adiutrice, quam cum paterna voluntate
& consensu, puro castoq; amore disquireret, eam non
longè post AGNetem, Philippi Hafsia Principis filia
am, P. Mauricij Saxonis viduam inuenit quidem, sed
diu non retinuit, nuptijs celebratis anno vltra millesi-
mum quingentesimum quinquagesimo tertio, die
Maij vicesimo sexto, eo anni tempore insolitis vento-
rum procellis & pluuijs turbulentissimo. Nam sexto
coniugij mense 4. Nouemb. vitæ suæ curriculum clau-
dens, suo quoq; exemplo vitæ nostræ fragilitatem &
omnia instabilia, atq; verissimè à Pindaro dictum esse,
edocuit, *τι ἢ τις, τι ὅ τις ἐπιμεροί σικιᾶς ὄναρ ἀνθρώπων.* Post
illud inauspicato à Principe nostro contractum, & à
morte distractum matrimonium, parens Ioh. Frideri-
cus Elector annum integrum non superuixit,

D 2

Itaq;

Itaq; cum anno quinquagesimo quarto citra mil-
lesimum quingentesimum III. Martij satur annorum,
& benedictionem diuinam expertus largissimam, æ-
tatis quinquagesimo primo, Heros ille magnanimus,
& post homines natos Princeps optimus, Vinariæ e-
viuis excessisset, atq; elogium electi Martyris IES V
Christi, Ducis afflictorum, Principis confessorum fia-
dei, Comitis veritatis, signiferi sanctæ crucis, exem-
pli patientiæ & constantiæ, hæredis vitæ æternæ pro-
meruisset, nostro Principi fuerunt paternæ ditionis
imperia & gubernacula plenis velis subeunda: Cui
tum iterum vel maximè fuit à coniugis dulcissimi, à
parentis laudatissimi, fato expressarum lacrymarum
solamen, fida comes, & custos Dei voluntate deli-
genda. Ea re factum nimirum est, vt cor & animus
inclyti Herois erga ELisabetham, Friderici III. Ele-
ctoris Palatini Rheni, Ducis Bauariæ & Simmeriæ,
filiam dilectissimam, principem animi corporisq; do-
tibus pietatis, pudicitæ, castitatis, modestiæ, frugali-
tatis, continentiæ, venustatis, dignitatisq;, & deniq;
omnibus quæ tam sublimem Heroinam cohonestant,
ornatissimam exarserit, cui & in matrimonium fuit
deinde collocata: quæ deniq; flamma oleo laticæ af-
fuso subinde aucta, extincto igne, quoad vixerunt,
flagrauit, in vtriusq; pectore verè Heroico, cuius ar-
suram ne post mortem quidem illius in hoc Principe
quamdiu viduo deferbuisset constat.

Celebratæ autem sunt hæ nuptiæ plenæ dignita-
tis, plenæ hilaritatis, ac regiæ cuiusdam maiestatis Vi-
nariæ, 16. Iunij Anno millesimo quingentesimo octa-
uo: cum biennio post vix integro elapso fratris eius-
dem Ioh. Guilielmi Germani nuptiale sacrum eodem
hoc

hoc mense Heidelbergæ celebrarentur, cum inclyta
Principe DORothea Susanna sorore, solennitate, vt
credibile est, maxima. Multi multa disputant de Fato
coniugij, in quorum ore sonat vulgatum illud, Fato
connubia fiunt: Atqui vna est coniugij moderatrix,
æterna Dei prouidentia, rerum omnium in Mundo,
teste Seneca, gubernatrix sapientissima. Prouiden-
tia nimirum Dei est, quæ Adamo Euam ceu costam e-
latere sumtam, in vxorem tradidit, quæ Abrahamæ Sa-
ram adduxit coniugem, prouidentia est, Hæc Isaaco
Rebeccam desponsauit, hæc Tobiaæ Saram Raguelis
filiam copulauit, hæc suam cuiq; marito vxorem, &
suum cuiq; vxori maritum adhuc quotidie fœdere as-
sociat indissolubili. Quando quidem secundum Salo-
monem domus & opes à parentibus, sed vxor pru-
dens à Domino datur. Simili ergò omnino fato Prin-
ceps noster eximia Principis maritus eximius factus,
non parum mehercule splendoris dignitati ipsius attu-
lit, cui ipsa esset non modò virtutum fida comes, ve-
rumetiam socia vitæ, & fortunarum indiuidua. Nam
vt aliàs fulgere vxor dicitur radijs viri prælustribus,
ita vicissim corona est viri vxor modesta & proba,
Deiq; metuens, quam inuenisse solius diuini fauor est
Numinis, teste Salomone. Quod si idem velle, & is-
dem nolle, ea demum vera amicitia est, vt Tullio plas-
cet, vix est, vt maior vnquam amicitia, verè dico, in-
ter alios coniuges fuisse dicatur: cum satis superq; o-
mnibus constet, summam inter ipsos fuisse rerum di-
uinarum humanarumq; omnium summa cum bene-
uolentia consensionem. Hanc nullum iurgium, dissis-
dium nullum interrumpere potuit, nulla Fatalis cala-
mitas interpolare: In hanc Fortuna suam iniquitatem,

Mars ferrum & arma, sed nequicquam exercuerunt. Hanc nec bonorum omnium amissio, nec captiuitas, nec exilium, nec sordes, nec vlla deniq; ignominia vltimo modo valuit disturbare, nedum confundere: Nihil, vno verbo, in toto mundo, nisi ineuitabilis mortis necessitas, quam tamen non tam diuulsit, quam firmis us omnino in æterna beatitate cōiunxit. O pulcherrimum coniugalis fidelitatis exemplum, ô fidem & concordiam, ô constantiam perpetuò prædicandam. Celebrantur passim apud auctores suæ cuiusq; gentis aut ciuitatis fidelium coniugum laudes & virtutes, Mithridatis & Hipsicrateæ Asiaticorum à Plutarcho, ab Herodoto & Strabone Regis Mausoli & Artemisiæ Cariorum, T. Grachi & Cornelix à Cicerone, M. Plancij & Orestillæ Romanorum à V. Maximo, in sacris Abrahami & Saræ, Isaaci & Rebecca, Iacobi & Rachelis, Tobix & Saræ: Horum verò illustris, Coniugum amorem si penitius introspexerimus, auditores, quid aut simile omnino, aut maius istis non deprehendemus, adeò vt æquius horum quam Plautij & Orestillæ, sepulcrum τῶν Οὐλδέντων, ex Valerio Maximo nuncupemus. Neq; verò solum hic amor coniugalis, quem dixi, plenus fidei & concordix fuit, sed etiam foecunditate & sobole generosa omnino beatus. Nam filiorum inde natorum duo adhuc in viuis, Dei gratia, superstites sunt, PP. nostri illustrissimi, duobus Fato piè defunctis. Quod & ipsum munus immensæ Dei bonitati meritò acceptum redditur, si quidem Euripide teste, θεῶν τέκνα θνατοῖς, & vt Psalmus ait, donum Dei liberi, merces fructus ventris, filij iuuentutum in manu potentis: Ex quorum prole diuturnitatis memoriam sibi in omne æuum parentes

In Pompeio.

Lib. 8.

Lib. 13.

De Diuinat.

Lib. 4. c. 6.

Liberi.

In Ioue.

tes non tantum relinquunt, verum etiam ipsis sunt,

ἀλλὰ γὰρ κακοῖς

Idem ibidem

σὺν τῇ ὀψυχίας, Θίλου.

vt idem Comicus attestatur. Incredibilis verò erga liberos parentum caritas est, adeò vt verè Tullius dixerit, Nihil dulcius hominum generi à natura datum esse, quàm suos cuiq; liberos, nec vllum nomen amanti-

In Orat. pro A. Cluentio.

us aut indulgentius, quàm paternum aut maternum. Quod & Themistius ita sensit, qui amorem cœlitus naturæ alligatum ab aurea illa infractâq; cathena pendere dixit, quam Natura perpetuo connectens, & obeuntibus nascencia coniungens, ne in nihilum ea relabatur, sibi hoc modo cauere dicitur. Sic igitur eximio & singulari quodam amore sui Principi nostro filij semper fuerunt. Et quia non ignorabat optimus

Princeps *ἑκαστοῦ δὲ παιδὸς*, vt ex Tragico, vel vt ex Plutarcho videre est, rectam & liberalem Filiorum

Eurip. in Suppli.

educationem radicem & fontem virtutis & bonitatis esse, à qua omnis non modò ornatus vitæ, sed etiam auctoritas & grauitas, & id, quod caput est, quid sit esse Principem, & quid eum deceat, dedeceatue, omnino peti debeat: Nihil profectò ea prius aut antiquius habuisset, quam vt primam illam suorum carissimorum filiorum ætatem certis legibus disciplinæ, pudoris, verecundiæ, atq; ipsius Relligionis adstrinxisset, per quos amplissimam familiam ad posteritatem propagaret, quos prouincijs à maioribus quasi per manus traditis fidos custodes relinqueret, & quos pro se tandem hunc mundum egresso Dei cultores defensoresq; veræ Relligionis & honestæ disciplinæ substitueret, si per funestam & atram istam calamitatem, proh dolor, potuisset. Quamuis ne sic quidem

est,

est, cur magnopere laboremus? Nam & quos fructus præclara illa ad virtutem indoles maturitate sua tulerit: Quàm laudabiliter se hæctenus vterq; Princeps in imperio gerat, res ipsa loquitur: maximè verò hoc conuincit in Filio natu maiore IOHanne CASIMIRO, P. & Domino nostro clementissimo, Patria & Respublica, quam ipse quidem regendam cum laude suscepit, pietate & fide gerit, sua moderatione & dexteritate constituit, clementia & tranquillitate communi administrat, de quo plura non est necesse dicere. Felix ergo Ioha. Frider. tali prole,

Ζηλωτὸς γὰρ, ὄσις ἠντιυκκοῦν ἅς τέκνα.

Eurip. in Oreste.

vt Comicus noster loquitur, & beata patria, quæ tantæ indolis primùm, deinde virtutis parens & alitrix extiterit, quæ quanta habenda sit magno suo cum fructu, & præsens hæc ætas experitur, & experietur adhuc magis tota posteritas futura.

Animi bona.

Magna sunt hæc decora, magna naturæ omnino ornamenta, sed sunt tamen adhuc alia multò maiora, nimirum virtutum illa, quæ in animo maximè eminent, lumina clarissima, quæ qualia in hoc Principe fuerint, agite, considerate mecum, si placet & deinceps, Auditores.

Lib. 14. Natural. histo.

Pietas erga Deum.

Præclarè vt omnia, Plinius, Relligione vitam constare, dixit. Ideoque Princeps noster non solum summa Relligione ipse fuit, sed vt ceteri quoq; essent, maximè curauit. Deum verè recteq; tum quo ad essentiam, tum quo ad voluntatem cognouit, & coluit nomen ipsius sanctissimum profitendo, inuocandoq; & ei solum innitendo, Dei verò verbum sedulò & diligenter audiuit in concionibus, & secundùm præscriptum illius, quantum potuit, potuit autem Spiritus sancti

sancti auxilio quamplurimum vixit. Cumq; fide in Deum summa esset, nusquam spem salutis nisi in te solum & vnum, Christe Iesu, collocavit, omniq; studio & precibus elaboravit, ne quid in fide novaretur, neq; ué contagio aliqua aut labes eam inficeret. Quæ omnia de ipso tum re vera sunt, tum verbis clarissima. Nam cum illustris, ipsius parens à se fundatam Salsburgensem Cæsaria privilegiorum maiestate beare & exornare antè non posset, quam ex hac mortali ad immortalium Academiam evocaretur, ipse, quod paterno testamento cautum erat, illam non tantum insignium & legum sanctitate munivit, verùm etiam solemnem eius inaugurationem & festiuitatem publica oratione, publicè ibidem in Templo memoriter habita magna PP. & DD. Doctorum & Professorum adstante corona illustravit. Incitatus videlicet sanctissimus Princeps fuit maiorum suorum Lotharij Imperatoris, Friderici I. & Friderici III. erga Academijs constituendas propagandasq; benevolentiam, quippe erga alterum in terris Paradisum, extra quem nulla vita est, ut nulla salus extra Ecclesiam. Albertus, cognomento Magnus, Episcopus Ratisbonensis, Academijs rerumq; in natura reconditarum investigatione eò usq; tenebatur, ut Episcopatu se illo abdicarit, priuatusq; Colonia vixerit, & publicis tantum lectionibus vacarit; Ita & hic ipse Princeps noster illa Academijs liberali & verè vita in tantum fuit delectatus, ut isti se totum emancipasset, si fieri vlllo modo potuisset. In primis Doctorum & Professorum fraternitate & concordia, quippe quam non ignorabat infirmis potentia causam esse, & ex paruis res magnas facere. Ideoque gliscentibus paulò post ibidem in doctrina Theolo-

Academia
Ienensis in
auguratio.

Dionysii. Har
licarnass.
Romana.
Antiquit.
lib. 4.

E

logo;

rogorum insidijs, quantum quidem in se fuit, occurrerit, & omni cura atq; diligentia prouidit, vt de con-
trouerso illo fidei articulo, publico in confesso, Vinar-
ria disputando cognosceretur, Theodosij, Arcadij &
Martiani, Romanorum Imperatorum exemplo.

*Neander in
sua Theolo-
gia.*

*Apophtheg-
ma Principis
nostri.
Linguae san-
ctae studium
& cognit.*

*Petrus Cri-
nitus de ho-
nest. discipl.
li. 6. ca. 6.*

Sapientia.

Sufficia.

In primis verò eum sacrosanctæ Theologiæ Iustiti-
ciæ istud & peccati Mysterium adeò inflammavit, vt
nec noctu somnum capere, nec agere quicquam sine
ea rectè interdum potuerit: Hæc ipsi in mente, hæc in
lingua ipsi, præ oculis hæc, hæc præ manibus, illa pro
regula ipsi, eadem & pro Symbolo, vnde eius apoph-
thegmata ista: **A B S Q V E P E R D I T I O N E S O L V M**
E V A N G E L I V M. Item, **M I S E R I C O R D I A D O M I N I,**
Q V O D N O N C O N S V M T I S V M V S.
Et quia in Mysterij illius contemplationem meditatio-
nemq; sola introducit sanctæ linguae cognitio, in e-
am summum studium collocavit. D. Hieronymum
accepimus ad Hebræam linguam nocturna tantum
studia contulisse, atqui Princeps noster & diurna &
nocturna sine intermissione, adeò vt eiusdem tantam
cognitionem fuerit assecutus, quanta vel ad quotidiana-
nas loquelas & sermonem familiarem suffecit. O ras-
rum Principis decus, ô gloriam & laudem, vel solum
hoc nomine nunquam intermorituram. Hæc verè illa
sapientia est, quam à Deo Salomon petijt, & vel di-
uitias etiam impetrauit, quam in eo Rex Tyri coluit,
Arabia Regina adiit, admirati sunt omnes populi &
nationes: Beatissime loh. Friderice, vtinam tui simi-
les hodie quamplurimos ferrent Respublicæ, quam
non esset, cur tantis turbellis Ecclesia æstualet: iam
verò tanta in eo fuit iusticiæ obseruantia, vt potius ne
admirer, an eloquar, constituere mecum planè neque-
am. Hæc

am. Hæc videlicet vt inter minuta sydera Sol, ita inter
 reliquas Principum virtutes eminent, & decora est,
 quæ nisi imperiorum omne corpus illuceat, tenebræ
 in ijs, nimbi & tempestas. Ideoq; iustissimus Princeps
 Diuam illam non modo in sese afferendam sui munere
 esse iudicauit, & ab ore aureo aurum illud purius a-
 pud Xenophontem habuit, ἐγὼ ἢ ἕδερ νομίζω γε ἀνδρῶν,
 ἄλλως τε καὶ ἀρχόντων, καλλίων εἶναι κτήματα, ἢ δὲ λαμπρότερον
 ἀρετῆς, καὶ δικαιοσύνης, nullas opes viro, ac præsertim
 Principi, pulciores honestioresq; esse, quàm virtu-
 tem & iusticiam: verumetiam cum primis in alijs: Om-
 nibus eam æquabiliter administrauit, ius dixit, red-
 didit, idque habuit supra omnem iniuriam positum.
 Causas reosq; ipse audiuit, Caroli Magni constitutio-
 nem sequutus, id quod res est arbitratus, inauditos at-
 que indefensos tanquam innocentes perire. Et quia
 iusticiæ pestis est interitus subditorum, nouarum Le-
 gum multitudo, atque litigandi ars & studium, nouas
 aut parcè tulit, aut omnino nullas: antiquas asseruari
 sedulo curauit, atq; omnem litigandi occasionem ex-
 acte omnibus præscidit, vias ad eam interclusit, illa
 causidicorum latrocinia intercepit, sine causidicis satis
 felices olim fuisse, fore deinceps quoq; Respublicas,
 considerando. Et ne in alios ipse iustus, in se iniurius
 videretur, hanc sibi quoq; administrandam efflagita-
 uit, hanc obsecrauit, hanc sine intermissione obtesta-
 tus fuit. Quid multa? hæc funesta illius & atrati diei
 causa vel solùm maxima. Hoc ipse non dico, dicunt
 alij, in primis vir ille sæculi nostri eximium ornamen-
 tum, & Lutheranae pietatis fulcrum maximum, Da-
 uid Chytræus in suo Chronico idem dicere non fuit
 veritus, Cadmus Scythæi filius apud Herodotum suam Lib. 7.

E 2

Tyrans

Lib. 7.

Cap. 19.

Modestia.

Clementia.

Tyrannidem deponere maluit, quàm deserere iusticiam. Apud Thucydidem Nicias Dux ob iusticiæ studium, quod omne in illam contulit, morte affectatus fuit. Quid fuerit iusticiæ illud & patientiæ diuinum decus ob eandem Idumæorum Princeps Iobus perpeffus, eius historia ostendit, & se iuuenibus, ipse fateatur, timori, honori senibus, pro oculo cæcis, claudis pro pedibus, & suum Indumentum fuisse iusticiam. Apage ergo imperitissimum vulgus, quod crimen inexcusabile in optimo Principe hic obis, iniurium es, optimè vidit, quid in se magnum haberet, quid suum intellexit, in Saladini illius Christianorum olim terroris, qui Syriam, Aegyptum & Africae bonam partem subegit, cogitationem seriò descendit, qui iam vicinus morti solam interiorem tunicam pro omni pompa funebri in hasta sublimi ferri iussit, cum acclamatione, hoc vnum ex domitore Orientis restare. Iuliani Imperatoris familiare dictum considerauit: Turpe esse Sapienti, cum animum habeat, captare laudes ex rerum caducarum splendore: nouit Carolum V. Galliarum Regem in veste restrictum, Ludouicum vndecimum familiarem, nouit se vile & infirmum corpus, nihil hic proprium aut suum, omnia, ad quæ stupeamus, à Deo esse, & vel horæ momentum interesse, inter solium & aliena genua, vt cum Seneca loquar. Vnde factum, vt tantæ fuerit clementiæ, placabilitatis tantæ, vt vix vllum vnquam à se dimiserit perturbatum, Titum Vespasiani filium imitatus, qui non oportere dixit, quemquam à Principis conspectu tristem discedere. Hac seipsum leniuit, hac ab ira temperauit sibimetipsi, hac noxios ex carceribus eripuit, hac erexit lapsos, hac seruatum iuit, qui seipsos saepe

numera

numero perdidissent, Neminem fastidiosè contempsit, neminem colloquio ignominiosè repulit, nihil in suos ciues & subditos iracundè, crudeliter nihil, nihil tyrannicè vnquam ipse, ipse inquam vel dixit vel fecit, sed clementem se non tantum nomine, sed re ipsa esse ostendit, quod ij ipsi ciues fateantur necesse est, cum quibus Sagittariorū exercitia clementissimè frequentauit, nec tamen nimis vulgò se vulgauit, sed Periclem imitatus, etiam inter familiaria illa exercitia miranda *Gravitas.* quadam cum comitate reuera præ sese tulit quandam PP. Saxoniorum maiestatem.

Quid de beneficentia dicam? quæ tanta in illo *Beneficentia* fuit, vt difficile dictu sit, vtrum reliquis virtutibus magis, an beneficentia excelluerit. Hic Euangelij ministris subsidia tulit, illic ludimagistris sua præmia constituit, isthic in Curias & ciues munera erogauit. Sensit enim verum esse, quod Cyrus Rex Persarum dixit, preciosissimum Principis thesaurum esse, si habeat subditos omni rerum copia circumfluentes, Sensit verum esse, quod optimus imperator Traianus dixit, Fiscum esse Lienem. Sicuti enim crescente in corporibus humanis liene, artus reliqui tabescunt, quod medici norunt: ita turgente Principis fisco, marcescunt reliqua membra, & grauiter ægrotant. Ideoque tributa sibi pendenda ne aspera in vulgè auribus vox, neq; res in animis essent, relaxanda omnibus his in locis clementissimè præcepit, tantum abest, vt nouum exactio-num genus introduxerit, & auariciæ belluam in Rebuspublicis ferendam existimârit. Testes vos ipsi Coss. & Senatores estis, testes sunt ciues, testes Præfecti, testes rustici, testis deniq; hæc tota prouincia. Quas verò Eleemosinas in pauperes distribuit,

Magnanimitas & fortitudo.

Senec. in lib. q. fiat, quod viris bonis mala accidunt, cum sit puidetia.

Vide I. Lipsii in Notis ad Politic.

quam paternam erga eos *sopylu* declaravit, quam ipso-
rum vices doluit, quam aegrotos curavit, quam con-
tubernia abiectis constituit, quam nudos conuestiuit,
quod hac ipsa septimana per te Ioh. Rudolphe distri-
buendi pauperibus panni grauissimè attestantur. Hoc
est munificum esse, qui si pater fuisset, quomodo ma-
gis suos curare vnquam potuisset? Laudatur C. Iulius
Cæsar, Tacitus Imperator commendatur, vterque ob
beneficentiam, ille quidem, quod Cn. Pompeio milites
ad bellum Gallicum commodatos millenis numis
donatos remisit, hic verò, quod paternas aedes de-
molitas verterit in vsum Thermarum, quæ vnicuius
paterent: Quantò maiori laude dignus est Princeps
noster, qui sibi nihil quidquam omittendum esse pau-
perum gratia existimabat. Deniq; si in hoc Principe
Magnanimitatis & fortitudinis exemplum nō appa-
ruit: quid omnino magnanimitas & fortitudo aut sit,
aut in quonam alio possit aut debeat apparere, peni-
tus ignoro. Taceo, quæ in sui ipsius illustrissimi Pa-
rentis exilio, quæ in subitaneo primæ coniugis fato,
taceo quæ ab alijs fuit multifariam p̄pessus: Deum im-
mortalem, quanta in semetipso quam innumerabilia,
quam dura & iniqua non tulit, sed omnino pertulit:
non enim ferre, sed perferre calamitates fortis est. O
fortuna, fortuna, quam rarò maximis honoribus de-
parcis, quam ex æquo mala es: In Mucio ignem ex-
periris, paupertatem in Fabricio, in Rutilio exilium,
tormenta in Regulo, in Socrate venenum, mortem
in Catone, in Iugurtha carcerem, vsq; ad necem, in
Perseo custodiam: Quid patrum nostrorum memoria
in Thomambæ? nonne per te veteri & felicissimo
regno non solum subitò exuitur, sed & vita? Arbitraris
vita,

vita, necisq; gentium, in vrbe sua Principe mulo vicatim per ludibrium circumductus, infami laqueo, & manu carnificis strangulatus est. Quid in Attabali a magno illo noui orbis rege, sub idem illud æui? nonne in carcere post infinitam vim auri quasi pro vita extortâ, per te amisit & vitam? Quid in eiusdem tractus rege Regum Mexicano? nonne inusitata morte per te obiit, lento igne per summum cruciatum vstus latus? & deniq; quid non in hoc ipso Principe? Ita me Deus amet, vt mihi quidem videmini, auditores, vix lacrymas continetis, vbi istiusmodi malorum mecum recordamini. Oppugnari magnum est, maius verò capi, triste ab vxore & filijs diuelli, in exilium verò eijci, & in remotas terras deportari tristius. Quidquam boni amittere malum est, omnibus verò priuari, vrbibus exui, excludi penatibus, paterna possessione deturbari, hæreditariam suam sedem ad desolationem vsque peruersam audire, id verò calamitas. A patria in præsentissimo hominum crudelissimorum periculo exulare, hinc inde circumduci, exinde nullis restitui precibus, nulla intercessione reuocari, nulla recuperari auctoritate posse, quo quid esse miserius potest? Pro quo coniugis miseræ squallor, lacrymæ filiorum pueriles, propinquorum sordes lugubres deprecantur, intercedit summa omnium maiestas, supplicat virtus, regionum desideria, vota vrbium, populorum preces agunt, & flagitant, eum pati in exilio obire, miseriarum omnium est maxima. Si quisquam hæc facta in quoquam de populo audiret, nonne indignum vociferaretur? nonne ingemisceret? nonne condoleret? Et hanc in Principem, in Principem Saxonicum, in nostrum Principem, in Principem tam
pium,

pium, tam sapientem, tam iustum, tam modestum, tam mansuetum, tam munificum, iniquissimam fortunam non lugeremus? non lamentaremur? Medius fidius, ut mihi videtur, ista subsellia commouentur, squallent parietes, totum hoc Auditorium contristatur. Incredible verò est, auditores, quanta animi magnitudine, quam mansuetè, quam patienter isthæc omnia sapientiss. Princeps perdurârit. Quam piè in Dei voluntate acquieuit, quam sua Deo omnia commisit, quam pro Ecclesiæ salute suspirauit, quam pijs precibus pro publica pace ad Deum sine intermissione ingemuit, spererum omnium futurarum meliori quam maxima, quam verbis nihil, nihil factis, nihil gestu in ipso animaduersum est, quo ob tam diuturnæ captiuitatis tædium & periculum indignaretur, immò verò ad Davidis exemplum præ Dei misericordia & bonitate exilium illud & omnes miseras, animo non dico Heroico, sed planè diuino contempsit atque delusit. Hoc est esse magnanimum, hoc est fortem esse, hoc pius Principem & sapientem. Utinam benigno Dei munere tantum Principum copia abundaremus, quibus præter Dei immortalis gloriam & Ecclesiæ salutem nihil aliud esset propoliturum, quicquid in ea propaganda nullas molestias, nullas preces, nulla odia defugerent: nunc verò quanta maior est horum raritas, tanto maiori subiectione eorum, qui tales extiterint, memoriam prosequi & conseruare debemus.

Mors.

Cum igitur, ut extremum quid habeat Oratio, in suo exilio illustrissimus Princeps, quod re vera *μείζον ἔργον ἢ τὸ λόγον* fuit, ut ex Stobæo cum Comico loquar, bonam militiam, ut cum Apostolo, militasset, atque

atq; suæ vitæ Tragoediam ad vltimum vsque actum
peregisset, factum circiter mensem Maium in Austriæ
oppido Stira fuit, in quem locum paullò ante non sine
singulari extremi fati significatione, quàm ipsius cellis-
tudo ex suo lapsu collegit, fuerat importatus, vt fami-
liari sibi Erysipelæ symptomate corripere: quod
eo modo reciprocans Fatale sibi fore optimè depre-
hendit, in primis ex totius corporis & virium omnium
inufitato languore. In hoc morbo quam illustre virtu-
tum eius theatrum fuit, pietatis, fidei, patientiæ, con-
stantiæ, vidisses vt se totum ad Deum componeret,
audisses, vt Dei voluntati suam subiiceret, audisses sæ-
pius dicentem atq; iterantem, quàm ad vtrumq; para-
tus sum, Dei voluntate vel hîc mori, vel in patria in
meorum complexu obire, Cupio dissolui, & esse cum
Christo. Vidit videlicet sanctiss. P. eos qui credide-
runt Deo Patri, & quem misit, Iesu Christo, non veni-
re in iudicium, sed in vitam è morte transiuisse: vidit
non esse grauiorem foris, quàm domi somnum, vidit
nullam terram esse alienam mortuo. Nouit hâc fine
nos omnes intrâsse, vt exiremus, nouit multos ante-
cessisse, sequuturos omnes, domum redeundum esse
intellexit, cum diu deambulatum est. Nascēti sibi Na-
turam protinus hunc terminum posuisse non ignora-
uit. Ad quam præcipuè genus humanum contremit,
quam timent, qui alioqui se nihil timere iudicant, eam
ipsam mortem, Deum immortalem, quàm non exti-
muit, quàm aduersus eam remedium & solatiū Chris-
tum habuit, quàm omnes eius terriculos delusit. Tan-
dem cum 9. Maij vi morbi victus lecto totus tenere-
tur, sibiq; supremum diem imminere sentiret, conuo-
catis ad se, quos habebat, ministris & pastore, suam cō-
fessio

F

fessio



feſſionem de omnibus fidei articulis, ſacrarum litterarum, Auguſtanae confeſſionis, & reuerendi P. Lutheri ſcriptorum auctoritate fundatam ſemimortua lingua repetiuit, atq; intra 7. & 8. veſperinam inter adſtantium preces, ſuſpiria & lacrymas vi morbi ſuperatus, in vera agnitione Dei & fide animam efflauit, atq; ei à quo acceperat, quem cognouerat, quem coluerat, cuius miſericordie ſe totum cōcrediderat, ſumma voluntate reddidit, annis ſua ætate 66. & quinque menſibus completis, atq; ea ipſa die in cœleſtem patriam ab exilio, ex captiuitate in æternam libertatem euocatus fuit, quia in eam ante annos viginti octo integros fuerat ex Patria & libertate abducus.

Talem ergo Principē, auditores, tam pium, tam ſenem, tam ſapientē, tam munificū amiſimus, cuius conſilio nos, munificētia Patria, Reſpub. auctoritate, tota Germania ſapiētia poterat hoc triſtiſſimo ſtatu vti, quod quid aliud niſi rerum omnium perturbationem videmus, nihil aliud niſi bella bellorumq; tumultus percipimus, nihil tota Europa tam horreſcimus, quàm immaniſſimorum Turcorum incurſionem timemus. Ad quam ſeſe Mathematicorum prædictionibus perſuaſi incredibili armatura expedire dicuntur, nihil niſi difficultates, Tyrannidem, oppreſſionesq; & corporum & animorum vbiq; audimus. Accedunt paſſim ſapientum, grauiumq; & magnorum virorum obitus, que omnia quid ſibi volunt? quid quaſo vos auditores portendunt? libros ſacros conſulamus, euoluamus annales, omnium temporum Hiſtorias replicemus, quous uis tempore magnas & periculofas mutationes inde fuiſſe ſequutas deprehendemus. Quæ ſi vnquam cum detrimento Eccleſiarum rerumq; publicarum euenerunt,

runt, iam profecto vt ne totius Germaniæ, Patriæ no-
stræ, damno irrecuperabili eueniant, comprimis me-
tuendum videtur. In tanto malorum præsentissimorū
concurſu futurorumq; metu, quis ſapientiffimi & gra-
uiſſimi Principis mortem, ipſi quidem optatam, toti
verò Germaniæ intempetiſſimam non lugeat? quis non
doleat? quis non præſentiam eius cum gemitu deſide-
ret & requirat? Sed lenire nobis optimi P. obitum il-
luſtris, virtutum ipſius recordatio, lenire periculorū
metum, & in ſpem erigere nos debent illuſtriſſimi filij
eius & Domini, Dn. Iohan. Caſimirus, vnâ cum Dn.
Iohan. Erneſto, P. noſtro clementiſſimo, cuius fidei,
prudentiæ & moderationi, ſi antea tota prouincia hæc
tutò commiſſa fuſt, quis iam in eius felicitate & pru-
dentia non acquieſcat, huius eximiæ virtutes oſten-
dunt, Deum miſericordem cura huius prouinciæ ad-
huc adfici. Hunc ſi toto peſtore dilexerimus, ſi o-
pem ipſius aſſiduè implorauerimus, ſi veniam pecca-
torum ab eo petiuerimus, imminentia pericula cle-
menter auertet, patriam noſtram & totam hanc pro-
uinciam tutabitur, & PP. noſtros illuſtriſſimos Eccle-
ſiæ, ſcholæ, Reipublicæ, adeoq; toti prouinciæ diutiſ-
ſimè incolumes ſeruabit: Quod ratum eſſe velit con-
ditor & cuſtos Politiarum, fautorq; & conſeruator
humani generis, Deus vnus & trinus, qui vi-
uit in omnem æternitatem celebran-
dus, Amen.

F 2 ODE

ODE IN EXEQVIAS IL-

lustris. P. Johannis Friderici II.

15. Decembr. celebratas,

Anno 1595.



Rgo te tandem, Deus, à diurno
Vinculo nostrum reuocat supremo
Principem Fato patriam in beatam

IAN FRIDERICE,

Heu mihi, diuùm genus, alme Princeps,

Quis tuam digna cithara pererret

Gloriam? quæ non mala pertulisti?

Tristia quæ non

Scilicet per tot numerosa lustra

Exili sordes, patriæq; strata

Arcis heu, vallo triplici reuinctæ

Mœnia nôsti.

Rebus aduersis tamen his, in æquum

Numen erectus, meliore Fato

Pectus infractam tenuisse iuuit,

Spemq; fidemq;

Aula nunc luget, schola luget: ô quis

Detinet luctu resonare nostros

Semper, ah, semper populos carentes

Principe tanto?

Soluit hunc questum, lacrymasq; nostras

Fratre cum fido, patriæ columna

Inclytus Princeps populo relictus

IAN CASIMIRVS.

BENE

BENEVOLO LECTORI.

Videbam equidem, B. Lector, aucto-
rum loca, quibus usus fui, à Typo-
grapho in margines adscripta, sed
displicebat, & quidem maximopere. Quia
nec omnia, & quæ erant, satis vitiosè. Non
quidem Typographi incuria, aut mea, sed a-
manuensis. Ideoq; quos nominatim expressi,
eorum loca placuit ynnuotios subiicere: Quæ tu
boni consulas, & si præterea quid dignum
correctione offendis, pro tua humanitate cor-
rigas, etiam atq; etiam oro, Vale.

*Eurip. in Hercule Furent. fol. 622. B. se-
cundum Iob. Brodæum.*

*Seneca in lib. cur bon. viris mala acci-
dant, cum sit providentia.*

Num. 20. cap. Plutarch. in Theseo.

T. Sueton. in C. Iul. Cesare, cap. 84.

Cicer. pro A. T. Milone.

J. Stobæus serm. 157. idem ibid. fol. 551.

M. Pet. Albinus in chron. Misnensi.

Idem titul. 4.

F 3

Abrah.

Abrah. Sauer in urbium descript.
Euripid. in Medea, fol. 158. B.
Arist. in Rhet. ad Theodect. lib. 2. ca. 15.
Plutar. in Apophth.
Xiphiln. Dion. abbreviat. sub finem lib. 21.
M. Pet. Albinus chron. Misn. tit. 16. f. 210.
Thucyd. l. 1. Cic. de Orat. f. 202. Polyb. l. 1.
Spängenberg in chron. Mansfeld. ca. 367.
P. Melanch. lib. 5. chron. fol. 186. B.
Idem tom. 2. Declam. fol. 759.
Homer. Iliad. 1. ve. 442. Plutar. in Camil.
Hermes c. 12. citante I. Lips. in N. ad polit.
cap. 3.
Diogen. Laërt. in vita Aristot.
Cicero in Orat. pro M. Calio.
Sueton. in C. Iulio C. & Tiberio.
Aristoph. in Nub. Quinct. lib. 1. cap. 3.
Plutarch. in Theseo. Aristoph. in Nub.
I. Lips. in N. ad Polit. cap. 9.
Virgil. lib. 9. Æneid. ver. 446.
Pind. in Pyth. Stroph. 7. fol. 135.
Plutarch. in Pompeio. Herodot. lib. 8.
Strab.

10
Strab. lib. 13. Cicero de Divinat.
U. Max. li. 4. ca. 6. Genes. ca. 16. E 24
Euripid. in Ione fol. 570. C. Idem ibid. B.
Idem in Suppli. fol. 295. A.
Plutarch. de Puerorum educat.
Euripid. in Orest. fol. 58. A.
Plin. N. H. lib. 14. Xenoph. l. 7. Cy. Ped.
D. Chytraeus in suo chron. de I. Frideri. II.
Nuptiis primis.
Herodot. lib. 7. Thucidid. lib. 7.
Iobus cap. 29. J. Lips. in N. ad Polit. c. 15.
Ammianus lib. 25. citant. I. Lips. ibid.
Sene. de Tranquill. anima, ca. 11.
Sueton. in C. I. Caesar.
Seneca in Hercul. Furent. ver. 325.
Idem in libro, cur bonis viris mala accid.
I. Lips. in N. ad Polit. cap. 15.
Psal. 33.
Stob. serm. 57.

FINIS.

X 207110






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13


Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



Ms. 64, 10.

Wd
734

De vita & morte
ILLVSTRIS
SIMI PRINCIPIS
AC DOMINI, D. IOHAN. FRI-
derici II. captiui, Ducis Saxoniae, Land-
grauij Thuringiae, & Marchio-
nis Misniae,
ORATIO,
IN SCHOLA GOTTHANA
POSTRIDIE PVBLICARVM
exequiarum habita, a
M. Andrea V Vilquio, Rectore,
Anno M. D. X C V.



Excusa Smalcaldiae, 1597.

